

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Clericus h
cum fonte primo

Cum cuncti status
hominum aliquid habeant laboris et aliquid uoluptatis,
clerici

inter hec nouo quodam artificio discernentes

totum quod delectat in quolibet elegerunt,
et totum quod molestat respuerunt;
a militibus acceperunt superbie fastum,
amplam familiam,
equorum faleras et nobiles apparatus;

a mulieribus dependentes collo
pelles rubricatas, uinum, molliciem, balneum
et gloriam;

a rusticis fructus agrorum, horrea plena.
Sed bene cauent militaris lorice pondus;
muliebrem declinant uerecundiam.
Omnes rustici et agricolae uictum sibi labore
acquirunt, hii deliciis affluunt, et tamen adueniente
fructuum tempore, promptuaria eorum plena tritico,
et bibunt uinum uue meracissimum,
et inde incrassantur, impinguntur et dilatantur.

Cum ergo resurgere ceperint homines quilibet
in ordine suo, isti cum quibus resurgent?
Si diuertere uoluerint ad milites, ipsos exsufflabunt.

Sic
cuncti homines a suis finibus arcebunt,
et isti qui in nullo fuerint ordine,
ubi putas quod collocabuntur?
Restat ergo ut illum locum sorciantur
ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat,
et sint in laboribus demonum
qui in laboribus hominum non fuerunt.

Bernardus super illud Psalmi: In labore hominum non
sunt, ideo cum hominibus non flagellabuntur.

Habent enim singula quaeque genera
hominum laboris aliquid, aliquid uoluptatis.
Sed advertere est prudentiam aliquorum,
et mirari quemadmodum
nouo inter haec artificio discernentes,
et ab invicem sequestrantes ea,
totum quod delectat, eligunt et amplectuntur:
quod molestum est, fugiunt et declinant.
Cum militibus nempe superbiae fastus,
amplam familiam,
et nobiles apparatus, equorum phaleras,
accipitres, aleas, et similia quaeque frequentant.
Aliqui forte dependentes a collo rubricatas murium
pelles, ornatos thalamos, balnea, et mollitiem omnem
atque gloriam vestium a mulierculis mutuauerunt;
caute omnino loricae pondus,
et insomnes in castris noctes,
incertaque discrimina praeliorum,
muliebrem quoque uerecundiam et disciplinam,
aut si quid sexus ille laboris habere
creditor [*al. cernitur*] declinantes.
Sudant agricolae; putant et fodiunt uinitores:
et qui inter haec torpent otio,
accedente fructuum tempore innovari sibi
horrea iubent, et promptuaria eorum plena,
utinam non prae illis; utinam vel cum illis.

Vivunt tritico,
bibunt uuae sanguinem meracissimum:
parum est, impinguntur et dilatantur adipe frumenti.

Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio*
Simonis cum Jesu, 10 (PL 184, col.443B-C).

Cum coeperint resurgere homines unusquisque
in ordine suo, ubi, putas, generatio ista locabitur?
Si ad milites forte diuerterint, exsufflabunt eos,
quod minime secum laborem aut pericula tolerarint.
Sic agricolae; sic negotiatores, et singuli quique
ordines hominum a suis eos similiter arcebunt finibus,
utpote qui in hominum labore non fuerint.
Quid igitur restat, nisi ut quos omnis ordo repellit
pariter et accusat, eum sortiantur locum,
ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat?

Gaufridus Claraeuallensis, *Declamationes de colloquio*
Simonis cum Jesu, 10 (PL 184, col.444A-B).